

1985

## H O M I L E T I C I .

1986

Item non melius metro illigata  
Nomina omnium Librorum bibli-  
corum: *Genesis. Exo. Levi. Nu-  
me. Deu. Josu. Judic. et Ruth &c.*

DCCCXI.

U. 197 Codex chartaceus lat. Sec.  
XV. Folior. 394. 4. non una ma-  
nu exaratus, olimque partim a *M. Andrea de weytra*, partim a *M. Wolfgango de Egenburga* relictus  
*Collegio beate marie virginis domus rubee Rose apud fratres predicatorum in wyenna Congeries est Sermonum intra annos 1418 — 61. partim in Aula Collegij Ducalis, partim in Monasterio Predicorum aut Scotorum ad Academicos habitorum, oratoribus, qui nominantur, *M. Petro de Pirchenwart et M. Job. de Titmanning*; neque enim Sermones omnes vel annum, vel locum, vel autorem produnt, neque operae pretium est, minutius in haec singula descendere. Interpolantur tamen Sermones hi quibusdam Argumentis aliis, quae indicanda censeo.*

Fol. 21. p. 2. *Sermo Clementis Pape de Sancto Jobanne Evangelista*. Mirandum, Sermones facundi hujus Pontificis, ordine Sextri, a. 1352. demortui a nemine typis haetenus commissos fuisse. Συλλογη eorum unam inter Codices Homileticos retuli Vol. I. P. 3. Extant praeterea Ms. in pluribus Bibliothecis Angliae et Galliae, ut videre est apud Oudinum T. III. col. 931. in *Paulina Lips.* in *Rhemensi Archiep.* in *Cathedrali Metensi*, ubi *Sermo*

noster habitus dicitur *Pontificatus sui anno quarto*. Thema illius est: *Hic est discipulus ille &c. Job. ult. et initium: Cum considero de gloriissimo apostolo et evangelista iohanne, quod secretorum ignotorum est audius indagator &c.*

*Fol. 190. p. 2. inserti Sermones IV. S. Bernardi*, nempe I. II. et III. de *Purificatione B. V. Mariae*, qui in edit. *Maur.* leguntur T. III. col. 959—62. et de *Annunciatione II.* qui ibi sequitur col. 977. Interjecta tamen sunt inter II. et III. Excerpta ex *Apologia Eiusdem ad Guilelmum Abb.* quam invenies T. II. col. 527.

*Fol. 239. Adlocutio gemina quorundam Visitatorum ecclesiasticorum, quorum prior incipit: Speciales viri, Patres ac domini mei digne recolendi. Indignum non autarem, si quem ex vobis questionis ambiguitas pulsaret, que causa nostri ad vos aduentus et vestre congregationis ad nos conuenitus existeret &c.* Altera: *Reuerendi Patres et Domini in christo sincere dilecti. Ex mandato et commissione speciali reuerendissimi in christo patris et domini nostri domini Leo. (nardi a Layming) episcopi patav. nec non dispositione ac iussione serenissimi principis Alberti domini nostri ducis Austriae &c.* Agitur de Visitatione Cleri infra Anasum, ut in utraque Adlocutione exprimitur, ab ista parte Danubij, idque, ut in priore, ex statuto sacrae Synodi, que pridie (pridem?) in ecclesia patavieni solemniter et devote extitit celebrata. Dioceſin hanc visitatam fuisse

a.

1987

## C O D I C E S

1988

a. 1435. et 36. a Legatis *Basileensisibus* et e Concilii Decreto, notum est, sed de nostra Synodo et Visitatione nihil inveni in Actis *Leonhardi Ep. apud. Hansiz. T. I. Germ. sacrae.* Contigisse debent illae intra an. 1429. quo *Leonhardo* reconciliatus est *Albertus*, et 1438. quo *Sigismundum* in Imperio successit.

*Fol. 274.* Adlocutio Synodalis, cuius initium: *Celeberrimam banc ac omni laude dignissimam conuocationem conspiciens mentis pre angustia non abs re contremisco.* Et mox: *cum — vos ad christiane religionis, ac huius insignis ac Venerabilis ecclesie Vesprim. conseruacionem ac amplitudinem aduentasse intelligam, et: ut huius san<sup>cte</sup> ecclesie vesprimien. status reformatur, ecclesiastica iura reparantur, seui mores corrigantur &c.* En igitur Synodus *Hungaricam Vesprimensem*, de qua nihil in Collectione Concilior. Car. Péterfy, Poson. 1741. f. Dominica XIX. post Pent. inchoandam fuisse, Evangelium de Homine Rege Matth. 22. docet, quod pro Themate adsumfit Noster, qui inter alia praedicandi munus Episcopis enixe commendat. Annus non exprimitur, nec illud, an haec Adlocutio re ipsa habita fuerit; lego enim in margine alicubi: *Pro collacione in Sinodo illa sequentia introduci possent, et alibi: Hic potestis abbreviare, si placet.* Unde nascitur suspicio, Adlocutionem hanc a quodam Theologo Vien. concinnatam fuisse ad preces Oratoris, quod nec hodie infrequens.

*Fol. 303.* Prosa III. ut in Ecclesia cantari solebant. I. de Natali Domini: *Natus ante secula Dei filius invisibilis interminus &c.* II. de S. Stephano: *Hanc concordi famulatu colamus sollempnitatem &c.* III. rursum de Natali: *Grates nunc omnes reddamus Domino Deo, qui sua nativitate &c.* Plurimis vocibus impositae sunt inter lineas Synonymiae ad erudiendos, ut videtur, Pueros phonascos.

*Fol. 313.* Collacio M. Ni. (colai de Dünkelspühl, ut non dubito) coram Maguntino Episcopo Anno domini M° CCCC° 29. Wyenne. Conradus is erat. III. e Rhingraviis ad Sigismundum Imp. et Comitia Posonium descendens sub exitum Novembr. salutatus, uti mos ferebat, in transitu ab Academico Magistratu. Oratoris Thema: *Si quis episcopatum desiderat &c.* I. Tim. 3. Initium: *Secundum thomam 2<sup>a</sup>. 2<sup>e</sup>. q. 1. de 2. tria sunt in episcopatu consideranda &c.* Expositis itaque officiis ad laudes Praesulis et preces delabitur, ut ad salutares Comitiorum effectus collaborare, et redux Concilium prouinciale cogere velit, *vt predeliborent et aduisentur ea, que in generali concilio fuerint ordinanda*, quae deinceps enumerantur, non omissis *Hussitis*.

*Fol. 382.* ad finem Congeries Statutorum Universitatis Vindobon. cui sequentia insunt: 1) *Tabela statutorum Vniuersitatis*, nempe generalium illorum promulgatorum ab Alberto III. a. 1384. quae edita a Lambecio L. II. c. 5. p. 94. repreäsentavit Kollarium Analyt.

1989

## H O M I L E T I C L

1990

leg. *Vindob.* T. I. col. 75. 2) *Statuta noua Vniuerstatis approbata per vniuerstatem et principem, desiderata ut pp (per Papam?) approbarentur.* Merus Index cum citatione pagg. Agunt de πολιτεία Bursarum, neque extant apud Lambecium. 3) *Statuta noua stan- tes extra bursas concernentia.* Qui nam videlicet Privilegiis Academicis gaudeant, quod sit officium illorum, apud quos hospitantur, quot cohabitare possint &c. Pariter ab Lambecio absunt. 4) *Declaratio de hijs doboribus videlicet Magistris et Licentiatis qui gaudent priuilegijs vniuerstatis.* Facta esse dicitur de speciali — a sensu Illustrissimi principis domini alberti quinti (post Imp. II.) ducis austriacae, et quidem in rectoratu 2°. M. Thome de Hasselpach, qui incidit in an. 1429. 5) *In rectoratu 3° M. pauli de Wiene* (dicti Päuerl). Id est 1430. ordinata quaedam ab eodem Principe circa Sedilia, Habitum Magistrorum, et locum solennium Aetuum Academicorum qui ad S. Stephani celebrari jubentur in medio ecclesie ante altare animarum. 6) *Ordo Statutorum legendorum in vniuer- sitate tota congregata circa festum cholomanni.* Lectio haec praecipitur in *Statut. general. Tit. III. §. 23.* eo, quod in *Craftino S. Cholomanni* inciperet *Magnus Ordinarius, seu Legionum instauratio.* Enumerantur tantum titulotenus multa Praelegenda. 7) *Arengula pro lectione statutorum Vniuer- sitatis.* Prolusio brevis, quae incipit: *Recolendi ac eximij viri &c.*

*Denis Codd. Theol. V. II. P. III.*

*Quia naturalis rei publice proprietas id ipsum exigit et requirit &c.* Subduntur etiam aliqua, postquam statuta sunt legit. Omnia haec Statutis general. serius addita apud Lambecium non habentur: 8) *Or- dinaciones de licenciandis.* 9) *Ju- ramenta prestanda facultati ante presentacionem ad licenciam.* 10) *Exhortaciones pro licenciandis.* 11) *Ordinaciones de sententiaris.* 12) *Juramenta sententiaris legen- da.* 13) *De cursoribus ordinacio- nes.* 14) *Juramenta.* 15) *Exhor- taciones.* Excerpta sunt haec a N. 8. e *Statutis Facult. Theol.* apud Lambecium *Tit. IV. — XIII.* paene ad verbum. 16) *Quedam statuta noua theologie.* Numero VII. Commendatur Doctribus vi- tae ratio, quae aliis optimo fit ex- emplo; pax et mutua dilectio; adcuratio in habendis lectionibus; assiduitas et moderatio in Disputationibus aularibus; studium justitia in Examinibus; in his Cancel- larius vices suas non deleget, nisi Doctori Theologo; Decani offici- um non continuetur in eadem per- sona; *Alberti ducis Austrie fidei katholice sincerissimi zelatoris affen- su* Baccalarii duo electi alternis diebus Biblia praelegendio intra triennium tota absolvant, et praeterea quovis anno per quadragesimam a meridie unam Quinquage- nam Psalterii. Ad calcem: *Lege et publicata fuerunt ista statuta coram vniueritate studij Wyen.* con- congregata in aula eiusdem feria ter- cia post dominicam Letare que era XX dies mensis marci Anno a Nativitate domini Millesimo qua-

O

drin-

1991

## C O D I C E S

1992

*dringentesimo tricesimosexto. Nihil de his ad h. a. Conspectus Hist. Univ.*

Ad Codicem compingendum postice adhibita est lacinia admodum vetusta rabbinici ejusdam Tractatus.

## DCCCXII.

**U. 112** Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 292. 4. currente calamo exaratus I. continet varias Prolusiones Academicas, puta in Lecturam *Evangelii Lucae*, in Materiae principales *Librorum Sententiarum*, speciatim in *Librum III.* in I. in II. &c. quarum omnium Thema illud *Lucae I. 78. Visitavit nos oriens ex alto.*

II. fol. 69. sequitur Lectura in II. *Sentenciarum* hoc ingressu: *Circa primam distinctionem 2<sup>i</sup> Queritur Vtrum in temporis inicio deus fecerit mundum ex nichilo &c.*

III. fol 257. accedunt *Dubia*, quae circa praedictum *Librum moveri possunt*. Autor nullibi proditur, neque id magno Eruditio- nis damno. Interim tamen ejusmodi Scripta, cum jam olim in serie *Codicum suis numeris insignita sint*, neque commode loco movere potui, neque penitus silentio premere volui, cum saltem veterum Academiae nostrae Doctorum *Αυτογεαφα*, et Documenta sint, quanta industria rem illi scholasticam et sacra studia aeo suo promotum iverint. Id quod semel monuisse sufficiat.

## DCCCXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 67 XV. Folior. 405. 4. calamo currente non uno conscriptus, rubricis tamen distinctus, et, ut p. notatur, quondam *Dominorum stipendiatorum burse Rose* varia Professorum olim Academiae *Vindob.* Monumenta scholastica hac serie complectitur: 1) Prolusionem de dignitate Scripturae sacrae principio mutilam. 2) fol. 10. Prolusionem in Expositionem Prophetarum *Zachariae et Malachiae*. 3) fol. 16. Prolusionem in *Sententias Petri Lombardi*, praeciqueque *Librum III.* in qua Autor Collegam suum in *Sententiis* exponendis nominat *M. Cristannum de Hurben*, qui Canonicus et Decanus *D. Stephani* praefuit Academiae Rector 1443. et obiit 1467. 4) fol. 21. p. 2. Prolusionem in *Librum IV.* *Sentent.* in qua praeter praedictum nominantur Collegae *M. perchtoldus*, *M. Johannes de Giengen* et *F. Job. Streler* Ord. Praed. 5) fol. 26. p. 2. Similem in *Librum I.* *Sentent.* e cuius decursu patet, memoratum *M. Perchtoldum* appellatum fuisse *Deychler de Norimberga*, et *M. Johannem Heydarff* 6) fol. 52. p. 2. Discutiuntur Quaesita et Dubia varia theologica, inter alia fol. 76. *Vtrum christianus honorantem se iudeum licite rehonorare possit.* Respondetur breuiter, quod non. 7) fol. 184. *Lectura 3ij Sententiarum.* 8) fol. 252. *Lectura quarti Sententiarum.* Atque his pluribus